



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 63. Cum gladiis & fustibus mißi à Principibus sacerdotum & senioribus
populi. v 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 61. *Ecce appropinquavit qui me tradet. v. 46.*

Postquam discipulos iam supremo in articulo periculi excitasset Dominus & eosdem surgere, atque semet sequi iussisset rationem dat ad celeritatem executionem valde opportunam: nimirum; quia Proditor appropinquasset iam, nec deceret discipulos pro Magistro suo & Domino & Deo minus esse vigilantes, quam capitalis hostis ejus cernebatur esse; quem ipse in spiritu aut etiam oculis corporeis iam cernebat non procul abesse. ô quanta hæc animi magnitudo! quam imperturbatus animus! quam sibi præfens, fidelis! ô si ego quoque in angustiis, in metu in periculis talis esse conarer.

Conforta cor meum Deus per hanc tuam magnanimitatem, & da sermonem rectum, recta facta & consilia sana, in os animamque meam in omni periculo meo. Da etiam Domine ut cum ego uti discipuli tui pericula mea non videam, saltem tibi & Vicariis tuis bene monentibus credam, & sic cum undique hostes appropinquant, & me perturbant seu mundus, seu caro & dæmon, quo manus eorum illæsus effugiam, tuo tuorumque consilio surgam cum discipulis tuis, & eam tecum generosè Tartareis hostibus obviam & passioni. In illo articulo obsecro da gratiam, & mitte spiritum sanctum tuum in me, quo confortatus, curram viam mandatorum tuorum & passionem cum tuis sanctis Angelis.

§. 62. *Adhuc eo loquente, ecce Judas venit unus de duodecim, & cum eo turba plurima. v. 47.*

Vix verba protulerat & ecce appropinquavit de quo dixerat. Aderat Judas unus de duodecim discipulis, non merito, sed titulo, nimirum re proditor, cum turba hominum sanguinatorum, luporumque crudelium, & illis sponte procedit obviam agnus.

Quid hoc aliud est, benigne Iesu, nisi quod perfecta charitas foras misit timorem. ô Iesu dulcis amator hominum, quis amor cor tuum absorbit ut ad mortem veluti ad nuptias properes & hostibus perinde ac amicis procedas obviam! ô clementissime Deus, quem non hæc tanta charitas incendat: largire mihi obsecro hanc gratiam, adeoque meum accende desiderium, ut in eodem amoris ardore me ipsum funditus abnegem, vili pendam, & tam tibi quam propter te creaturis omnibus me subijciam quo vel sic obedientiæ tuæ resignationi & admirandæ humilitati aliqua ex parte respondeam.

§. 43. *Cum gladiis & fustibus missi à Principibus sacerdotum & senioribus populi. v. 47.*

Describit hic Evangelista quomodo & qualiter venerit proditor Judas

E

ad

ad Iesum in orto, stipatus scilicet multa turba militū, gladijs & fustibus vel ad occidendū gladijs, si se defendere veller, vel fustibus arcendū si fugeret manus ipsorū, sicut alias acciderat. Arbitrabantur enim eum quibusdā maleficijs posse uti adversus gladiatorum vim. Ex his patet quo animo veniant, nempe parati ad prœlium & necem innocentis Domini & magistri exosi, eo quod sapius ipsos suo merito arguerat de iustitia, de peccato, de veritate, ipsi autem offensi consilium fecerant quomodo eum dolo tenerent & occiderent, & jam per traditionem Iudæ discipuli campum apertum inveniebant, unde statim & sine mora mittebant militem suum ad exequendam prodicionem ejus.

Iesu bone, quantum scelus! quanta traditio! Innocens quæritur ad necem! à nocente, Magister à discipulo, Doctor & Propheta à suo auditore, sanctus ab impio &c. quæ causa? quia prædicat iustitiam, vitia increpat! Ah, Deus meus, da mihi quoque gratiam, ut nunquam metuam oculos hominum, quin cum discretione & spe fructus vitia increpem, virtutes prædicem, ad tuam gloriam proximique salutem & emendationem.

§. 64. Qui autem tradidit illum dedit eis signum. v. 48.

Ut Iudas nefarius dextrè & infallibiliter traditionis suæ officium perageret & promissum sibi stipendium triginta denariorum non amitteret, neve alium pro Christo è discipulis aggredierentur milites, quia multoties impetratus à Iudæis pertransiit nescientibus ipsis, dedit eis signum, osculum sc. pacis. ò iniquitas! iam signum vitæ fit mortis, & salutis tessera fit signum prodicionis, Patres nostri hoc signo utebantur in signum concordie & veræ amicitie, tu scelestè abuteris in signum prodicionis! nefas abominandum! quomens & conscientia tua avolavit.

Benignissime Deus ab hoc abominando peccato libera me semper, nequam proditor sim eorum qui se suaque mihi crediderunt, nec in verbis sim lubricus vel fictus in signis, sed è contra fidelis tibi uti Deo meo & rationalibus creaturis uti proximis meis propter honorem & reverentiã tuam.

§. 64. Quemcunque osculatus fuero ipse est tenere eum. v. 48.

O Iuda proditor! aliter Christum prodere non potes nisi sub specie amicitie? quid tibi male fecit? nonne te Apostolatus titulo honoravit? non cum ipso dulces capiebas cibos? non te enutrivit & tanquam proprium filium sollicitè instituit, domus suæ dispensationem commisit? infidele cor, hæccidne servitus in Dominum? gratitudo in Magistrum refutat?

O Si dignus ego fuisset Dominum meum solum videre in terris, non ausim dicere, cum ipso in mensa sedere, non amplecti, sed simbriam

vesti.